IN LABORE REQUIES
SIVE

DE S. SPIRITUS ADVENTU.
ORATIO.
Habita in Sacello Pontificio
AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM
CLEMENTEM XI. PONT. MAX.

A COMITE ALBERTO DE LANNOY CANON. GANDAVENSI
Seminarii Romani Convictore.



ROMÆ MDCCX. Apud Josephum Nicolaum de Martiis, Propè Templum S. MARIÆ PACIS.

Superiorum Facultate.

CLEMENTI XI.
PONT. MAX.

ALBERTUS DE LANNOY


FELICITATEM.



QUOD *proprium est, ac peculiare Divini Spiritus* REQUIES IN LABORE, *tuum adeò esse intelligimus B. P. ut nihil magis Dei te vices apud homines gerere nobis ostendat. Dei siquidem (si Augustino credimus) hæc est natura, ut sit* agens semper, semper quietus. *Et sanè, ex quo humeris tuis Christianus* *D. Aug. cap. 10. manual.*

 Or-

Orbis inſedit, tantâ ſemper animi tranquillitate ad illius cuſtodiam laboraſti, ut laborem tibi quodammodo in naturam vertiſſe videaris: imitatus cœleſtia corpora, quæ jugi vertigine agitata motu perpetuo gaudent, in quibus tamen quidquid laborem vocamus, natura eſt. Inde fit, ut Principem in noſtrâ procurandâ felicitate ſemper laborantem, in nobis excipiendis, quaſi vacuus omnino eſſet, & otioſus, promptiſſimum experiamur. Ita æquè omnibus prodes, & cum laboras, & cum quieſcis. Redditur propterea tibi, non exhibetur mea hæc qualiſcumque oratio, mores ſiquidem tuos ita complectitur, exprimitque, ut inter tuas imagines nulla ſit verior, ſimilior nulla. Faxit itaque Deus, ut, quæ uberem laboribus tuis materiem præbet, quiete etiam tuâ, afflicta tandem Europa perfruatur.



IN LABORE REQUIES
SIVE
DE S. SPIRITUS ADVENTU
ORATIO.



HAC lege nascimur, hac lege vivimus B. P. ut laboremus. Ex infelici Parente, nihil infelicioribus filiis reliqui fuit, nisi Patrimonium calamitatum. Hinc nihil nobis optabilius, jucundius nihil, quam quies, quæ tunc maximè cum abest, incredibile sui excitat desiderium. At unde isthæc petatur? E terra? At *in laboribus ex ea comedere coacti sumus*. Ab amicis? At *hi non permanent in die tribulationis*. A divitiis? At *laborat*

Job. 5. 7.

Gen. 3. 7.

Eccl. 6. 8.

Eccl. 31. 3. *borat dives in congregatione substantiæ*. Fortasse in nobis, quæ extra nos frustrà quæritur, quies reperietur. Immòverò domesticis perturbati animi tumultibus adeo sumus inquieti, ut ipsa nobis quietis inquisitio sit laboriosa. Hodierna tandem luce Divinus Spiritus optatam nobis é cęlo quietem attulit: futurus ipse nobis, ut scité canit Ecclesia, IN LABORE REQUIES.

At dicet hîc mihi aliquis: ubi nam pax, ubi quies in tanto Cœli tumultu? An vero ignoras *factum repente de Cœlo sonum, tamquam advenientis Spiritûs vehementis*? Nonne vides quietos antea Ecclesiæ Senatores accepti spiritus agitatione correptos? Nonne audis ignotis ubique vocibus inclamantes? Hanc tu quietem vocas, non exteris modò, sed civibus, non privatis tantum, sed regibus odiosum fieri, & omnibus inimicum? Video jam quorsum hæc spectent. Fingitis vobis, qualem fortasse optaretis, quietem sine labore. Sed frustra est. Veniat vobis in mentem Adam parentem nostrum à Deo non alia lege in ipsa quietis sede collocatum, nisi *ut operaretur*. Vos verò *in terra cui maledixit Dominus* quietos omnino fore existimatis? Alia post laborem requies vos manet: alia in labore: utraque ab eodem Spiritu, tamquam duplex ex eadem radice ramus proficiscitur: hæc tamen exilii est, illa patriæ: hæc tumultus amat, illa aversatur: hæc labores facit jucundos, illa nullos. Quînam igitur

Act. Apost. 2. 2.

Gen. 2. 15.

Gen. 5. 29.

requies

requies hæc in labore diceretur, nisi esset labor? Vehemens quidem, & quodammodo in speciem turbinis Divinus è Cœlo Spiritus hodie descendit, *sedit* tamen idem ipse *supra singulos eorum*, stabilem singulis sub laboris specie quietem relicturus. An verò non reliquit? Laborabant profectò Apostoli accusati, traducti, conviciis appetiti, in custodiam traditi, ad pœnas, ad necem destinati: *ibant* tamen *gaudentes à conspectu concilii* non quiete tantum, sed incredibili lætitia perfruentes.

Act. Apost. 2. 3.

Act. Apost. 5. 41.

Nobis etiam quàm graviter in jugo Divinæ legis perferendo esset laborandum, nisi hoc, Divini Spiritus oleo inunctum computruisset. *Fingit* Deus *laborem in præcepto*, sed dum a nobis jubet amari, quietem offert: nam, ut cum Augustino loquar, qui amat, hoc est qui legem implet, non laborat. Laborant quidem impii, & quod mireris, laborem suum quietem vocant, sed reprehendit illos cor eorum, quod *quasi mare fervens quiescere* unquam *non potest*, & procelloso intumescentium fluctuum fragore ad illorum aures illud ingeminat. *Tranquillitas ista Tempestas est*. Vobis vero qui sponte Divinæ legis oneri collum subiicitis, nonne *amodò spiritus dicit ut a laboribus requiescatis*? Constans illa conscientiæ tranquillitas, inter hujus vitæ procellas: pax illa animi inter durissimos militiæ hujus labores, quid aliud, rogo vos, quid aliud facit, nisi *ut quieti sitis, & negotium vestrum agatis* in ipso

Esa. 10. 27. D. Greg. in hunc locum. Psal. 93. 18.

Esaiæ 57. 20. D. Hyeron. in hunc locū.

Apocal. 14. 13.

Job. 1. Thessal. 4. 11.

otio

otio negotioſi ? Hoc eſt, quamobrem idem Spiritus
Matth. 3.17. apud Jordanem Columbæ ſpeciem olim induerit: quemadmodum enim hæc, liquidum cœli iter ingreſſa, citiſſimo curſu aerem radit, celeres neque commovet alas, ut laborare in quiete, in labore
Gen.2.2. S.Augustinus. quieſcere videatur: ita ille, qui in ſe ipſo *requievit ab omni opere quod patrarat*, labores noſtros quiete temperat ſua. Columbæ hujus pennas, cum *in exercitatione ſua contriſtaretur* optavit ſibi regius Pſaltes, non ut labores omnino depelleret, ſed ut
Pſalm. 54.6. mulceret. *Volabo* inquit *volabo, & requieſcam*.

Sperandum igitur etiam nobis, ut in tanta Europæ totius perturbatione, optata tandem quies affulgeat beneficio Divini Spiritus, qui, licèt igneas, quaſi
Act. Apoſt.2.3. fulmina modò induat linguas, aſſumet iterum Columbæ ſpeciem, ut pacificum oleæ ramum ad afflictos deferens populos fiat omnibus conſtans In Labore Requies.

